

CONRAD CELTIS

CARMEN SAECULARE (98 vers)

**CARMEN SAECULARE,
 CUIUS στροφοί NUMERUM HORARUM DIURNAE REVOLUTIONIS CAELI CONTINENT,
 ET OMNES SPHAERAS CAELESTES.**

C_1 v.1 Orbe centeno modo solis axis
 2 currit, aetatem renovare pergens
 3 Saeculi nostri, pueri et puellae
 4 dicite carmen.
 5 Terra quae cincta es liquidum per aequor,
 6 aer, ac undis inimicus ignis,
 7 Pace concordēs alimenta nobis
 8 largiter aedas.
 9 Luna fecundans uteros pudicos,
 10 nutrias fetus, sobolem et venustam,
 11 auge et humorem, vegetesque cuncta
 12 semina rerum.
 13 Quique contectus vafer es galero,
 14 aliger linguas doceas et artes,
 15 et lyram nostras fidibus canoris
 16 infer ad oras.
 17 Quaeque nos blando stimulas calore,
 18 Mater aeterni et genitrix amoris,
 19 copula laetis maribus maritas
 20 prole perenni.
 21 Tuque qui vultu es rutilus corusco, et
 22 lucis et noctis sator atque rector,
 23 Phoebe Germanas radios benignos
 24 sparge per oras.
 25 Marsque qui longa galeatus hasta es,
 26 et comis fulvis volitas per orbem,
 27 ense Germanas tueare terras,
 28 fasque piumque.
 29 Juppiter totus duce quo stat orbis,
 30 Maximum serves rogo Emilianum,
 31 ut suas terras regat, ut tuo tu
 32 Numine caelum.
 33 Tuque qui curvam geris orbe falcem,
 34 conde morbosas petimus sagittas,
 35 rusticas artes doceas, bovesque
 36 sub juga mittas.
 37 Hinc gregis princeps Aries per arva
 38 humidos veris referens tepores,
 39 prospera fetus ovium, et bidentum
 40 corpora cures.
 41 Quique nos largis dapibus repascis,
 42 findis et latos oculose campos
 43 taure, lascivum butyrum datoque
 44 lactea dona.

45 Vosque qui vinctis manibus nitetis
 46 Castor et Pollux, equus arte quorum
 47 frena suscepit, date vestro equinam
 48 sidere prolem.
 49 Corticem rubrum tua Charcinus qui
 50 terga deformas tropicas habenas
 51 Cynthii vertens, niteas precamur
 52 lumine fausto.
 53 Tuque qui fulvis aperis calentes
 54 rictibus fauces cane cum gemello,
 55 Parce Germanas petimus calore ex-
 56 urere terras,
 57 quaeque splendens spicifera corona
 58 Virgo, maturas comitata messes
 59 frugibus multis spatiosa nobis
 60 horrea dites.
 61 Libra quae noctes pariles diesque
 62 lance inaequali facis, et repensas,
 63 profer Autumni caput, et Lyaei
 64 pocula funde.
 65 Tuque cum cauda truculentus unca
 66 mordicus spargens tetricum venenum,
 67 pestiles morbos procul Alemannis
 68 exige terris.
 69 Semivir diras jaculans sagittas,
 70 quique atrox curvo minitaris arcu,
 71 tela de nostris precor aufer oris,
 72 et fera bella.
 73 Quique stas barba rigidus nivosa, et
 74 vertis hibernos glaciosus hortus,
 75 fulgidum Phoebum refer Alemannas
 76 Prosper ad oras.
 77 Tuque qui flexa rutilas in urna,
 78 da salutare petimus liquores,
 79 irrigans agros, et amoena scissis
 80 flumina ripis.
 81 Vosque qui squamis pariter nitetis
 82 ultima obliqui vaga signa caeli,
 83 poscimus vestro date copiosos
 84 sidere pisces.
 85 Vosque qui juxta radiosa turba
 86 circulum obliquum per utrumque caelum
 87 curritis, vestris radiis amica in-
 88 fundite fata.
 89 Tuque quo constant vagabunda caeli
 90 sidera, et quicquid spatiosus orbis
 91 continet, nostris precibus benignas
 92 des precor aures.
 93 Nos tuum nomen fugit, et potestas,
 94 quisquis es, curas habeas benignas
 95 rebus Almanis, tibi multa fumant
 96 templa per urbes.

C_2 v.1 Haec ego in Hercynia cantavi carmina silva,
 2 Alpica quae Styrius tectaue Carnus habet.